Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36541
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

lite. Si divina pagina quae digniora cognoscimus exequi debemus. cum sacrificium de quo agi
tur de panis sive azimi sive fermentati substantia constet esse celebrandum. quem pa
nem digniorem estimamus. ad facienda dominici corporis veritatem. non illum quem et vetus
lex elegit ad significandam. et evangelium ad exhibendam eandem veritatem? Si
itaque respondemus graecis nos hoc de azimo non propter figuram sed propter praedictas causas
facere. michi hic intelligi valet. cur nos graeci anathematizandos. aut
sabbatum reprehendendos recte iudicent. Aut si dicunt nos hoc non agere posse de
azimo sine intellectu figurae per quod iudaizare probamur. ergo nec illi similiter queunt
ad hoc ipsum uti fermentato sine figura quia et vetus scriptura per fermentum designat pecca
tum. Cum execrantur in pascha suo comedere fermentatum. et nova dum monet nos in pas
cha nostro epulari non in fermento veteri. neque in fermento maliciae et nequitiae. Illi
enim etiam quia nos non iudaizamus. si figuram tenemus in azimo quam non significamus christum
sine fermento peccati venturum tamquam iudei. sed monstramus eum talem venisse sicut christia
ni. et per hoc monemus tales nosmetipsos exhibere. quale pascha nostrum est quod mandu
camus. Illi autem nec iudeos nec christianos in hoc se profitentur quia dum in fermentata sua figurant
nec venturum ut iudei nec venisse ut christiani sine peccato significant. sed potius
paganis favere videntur. qui illum sicut alios homines peccato fermentatum existimant.
Si vero aiunt christianos non debere uti figuris quia vetera transierunt in quibus erant necessa
riae. negant ut alia taceam baptismum esse figuram cuiusdam mortis et sepulturae contra
apostolum dicentem. Quicumque baptizati sumus in christo iesu. in morte ipsius baptizati sumus.
Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem. Aut si concedunt nos uti figuris
sed non in eisdem rebus quibus in figura lex vetus utebatur. et ideo non esse panem azimum assumendum
ad ullam figuram. quia adhuc in eadem lege accipitur. quare baptizant in aqua cum patres
nostri omnes in moyse baptizati sunt. in nube et in mari. quod negare nequeunt in figura
fuisse. Utuntur quoque ideo aqua. ne videantur baptizare baptismo Iohannis. qui bapti
zavit in aqua. Si igitur reprehensibiliter figurate baptizamus in aqua. licet illud baptisma
veteris quod fuit sive novi figura in aqua fuerit. quae est ista graecorum sapientia quae propter hoc quia ve
tus pascha per quod nostrum figurabatur celebratum est in azimis. detestatur nos sacrificare
corpus christi quod est pascha nostrum de azimo in figura. sive ad commemorandum quia talis
fuit ille cuius corpus sacrificamus. scilicet sine peccati infectione sive ad commovendum
nos. quod corpus eius commedimus tales debere esse secundum apostolum dicentem. expurgate vetus
fermentum. ut sitis nova conspersio sicut estis azimi. etenim pascha nostrum immolatus est christus.